



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XII. Fructus exercitii vivæ Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

CAPVT XI.

Media ad augendam in nobis fidei virtutem.

Cum, ut in superioribus ostendimus, tot tantaeque sint vivae fidei excellentiae ad Thefauros gratiarum in Deo absconditos eruendos. totus Christiani conatus quantum possibile est extendere debet, ut in se perficiat, & adaugeat fidei virtutem: sicut enim Charitas, & Spes, ceteraeque virtutes, continuo exercitio, aliisque mediis, quae sacra Scriptura docet, augentur, ita de fidei virtute pariter dicendum est. Aliquot ergo fidei augendae media proferemus.

Primum & praecipuum est, frequens & devota augmenti fidei efflagitatio, qua cum Apostolis Dominum nocte, & die instanter rogemus, *Dominus adauge nobis fidem*. Ipsi enim, quae reliquarum porta & radix est adaucta, ceterae quoque virtutes eadem proportionem augebuntur.

Luc. 17.

Ser. 31. in Cant.

Adjumento magno erit oratio, nam cum per eam visitetur à Deo anima, & caelestis vini suavitatem inebrietur, ut quasi palpabiliter (si ita dici possit) in se Dei praesentiam experiat, ut S. Bernardus affirmat; ita per experimentalem illum & unitivum Dei quo inflammatur amorem, aliquando divinum lumen, eoque excrefcit, ut non jam credere, sed mysteria intueri sibi videatur.

Tertio vitae sanctitatis: sicut enim in speculo mundo clarius relucet, si lendor solis, ita in anima à passionum vitiis, & foridibus expurgata divinae lucis radii lucidius resplendent: unde Christus Dominus praecipuum ad Dei visionem pertingendi medium posuit cordis puritatem: *Beati, qui inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: non enim, ut bene inquit Cassianus, à meditatione legum intelligentiam, sed de fructu operis acquirentes, cum psalmographo canunt, à mandatis tuis intellexi. Psal. 118. & exactis passionibus universis fiducialiter discunt, psallam, & intelligam in via immaculata.

Matt. 5.

Cass. 6. 9.

Coll. 14.

Huc etiam conducit humilis & pia consideratio eorum, quae in fidei confirmationem operatus est Dominus, quae alia ac tanta sunt, ut, quem admodum ostendimus latius lib. 1. fidei nostrae mysteria efficiant evidenter credibilia.

Aliud magni momenti medium est, omnibus occasionibus occurrentibus, ut supra explicuimus, applicare exercitium fidei, ut sicut virtutes ceteras charitatis exercitio perficimus: ita omnia opera ad fidei lucem, & infallibilis veritatis mensuram, & regulam reducamus: nam pauca admodum sese offerent, de quibus non reperiamus ex fide veritatem, sacrisque in literis doctrinam utilissimam, cum Apostolus dicat: *quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spe habeamus*.

Praecipuum autem acquirendae vivae fidei medium est, infallibilitatis ipsius, quae essentialiter vero ac veracissimo divinae veritatis testimonio nititur, attenta, & diligens ponderatio.

Ponderandae autem divinae veritatis certitudini multum subservit, saepius occasionibus occurrentibus haec, aut similia animo repetere, quod ista veritas sit infallibilis, quod nullo modo deficere possit, eam fundatam esse non testimonio viri probi, aut Angeli, sed ipsiusmet Dei: omnes sancti Evangelii, aut sacrae Scripturae, aut quae ab Ecclesia credendae proponuntur veritates. Dei ore prolatae, & à Spiritu sancto Ecclesiae Christi revelatas.

Hinc magna concipitur erga scripturam sacram reverentia, & affectio, dogmatum fidei nostrae estimatio, dum unumquodque eorum usque ad minimum sanctae Scripturae verbum tanquam de caelo

descendens, & à DEO revelatum venerabundè amplectimur.

Denique, qui obtinere desiderat fidem vivam in gradu heroico, magno venerationis affectu, non solum ipsas res fidei, sed ipsi quoque annexas prosequi necesse habet, quales sunt sacrae caeremoniae, quae S. Ecclesia ad cultum & reverentiam Dei, tum interiorem, tum exteriori instituit: Biblia similiter sacra, Missale, Breviarium, in quibus fidei nostrae thesauri reconditi sunt, affectuoso religionis cultu suscipienda sunt, & gratissimi testimonio exosculanda.

Hoc probè intellexerat Sanctus ille, sacra Biblia genibus flexis legere, & reveri solitus: Alios, quae Dei gratia, cognovi, qui licet apprimè essent eruditi, quibusque non deerant libri, & considerationes diversae, solo tamen divinae veritatis, & substantialis fidei nostrae, doctrinaeque Christianae còpendio, brevissimo temporis spatio ad altissimum pervenerunt orationis gradum: quancumque alios libros rejiciamus, praesertim si ad excitandam fidei lacem ordinentur, ut in praecedentibus clarius diximus.

CAPVT XII.

Fructus exercitii vivae fidei.

Qui in spiritu vivae fidei diligenter progreditur, magnos adferunt, & praeclaros fructus, licet enim hanc solum perciperent utilitatem, quod in fine anni sese in virtute fidei reperirent solidatos, & in hora mortis adversus daemonis tentationes firmos & constantes, plurimum sane foret: sed praeterea exercitium hoc charitate mirabiliter augeat, nulla enim alia lux aequè ad eam inflammandam efficax esse potest, cum fides sola ejusdem cum illa ordinis, hierarchiae, & virtutis sit supernaturalis.

Certitudo quoque fidei, ad quam continuo aspiciunt, incredibilis est: adeo ut illiterati aliqui, & idiotae hac praxi exercitati, melius solidiusque symboli fidei intelligant, quàm sapientissimi quoque, sola speculatione contenti, quorum fidem, literarum etiam mundus reprobaret, nequaquam tamen vel minimè labefactaret: tanta eis illuxit lux veritatis.

Ex qua nascitur etiam in iis profunda Scripturarum intelligentia, nam, ut inquit propheta illius: *nisi credideritis, non intelligetis*, igitur ad intelligendum, primò necessarium est credere, quantoque magis vivit fides, tanto etiam amplius excrefcit intelligentia, & divinorum mysteriorum penetratio, ut sequenti Capite latius dicemus.

Neque solum lucem hanc specialem hoc exercitio acquirunt servi Dei, sed insuper gaudio isto admirabili paulatim frui incipiunt, sive fidei fructu, quem Apostolus Romanis exoptans ait, *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pacem credendo, ut abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti*.

Fides haec sublimis, qua res divinae tam mirabiliter penetrantur, alia plura secum ad vitam spirituales emolumenta, ut aliam Dei, rerumque divinarum, ac sacrorum verborum, quae à Spiritu sancto prolatae sunt, estimationem, & ponderationem. Ac praecipue quod secundum fidei intentionem, & magnitudinem, major quoque vis, & pondus voluntati ad bene operandum incumbat, excellentiora quoque, majorisque meriti reliqua sunt virtutum opera: quod significare voluit Apostolus cum dixit: *Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*, Id est, gratia & virtutes homines iustificantes, secundum fidei augmentum magis magisque adaugentur, & adauctae manifeste inveniuntur, quandoquidem ergo fidei exercitio caeretarum virtutum habitus augeantur, operis pretium erit

rit ad particularia descendendo praxim fidei circa illarum singulas tradere; in hanc enim curam præcipuo nobis studio incumbendum est, ut radicem fidei feracissimam diligenter excolamus, sic namque omnium nobis virtutum fructus uberri- mos germinabis; prius tamen de tribus fidei gradibus quædam dicenda restant.

CAPVT XIII.

De tribus fidei gradibus.

Sanctus Bonaventura tres distinguit fidei gra-
dus.

Primus est, credere simpliciter, ut faciunt ru-
stici.

Secundus: credita penetrare, & est donum in-
tellectus.

Tertius: quæ credimus quasi oculorum acie cer-
nere, & est sexta beatitudo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.*

Ita ergo, quæ capite I. attulimus mediis ex-
ercitatis fidei virtus, ad tantam, magna obscurita-
tis parte deperdita, excrecit claritatem, ut ii, qui-
bus ita illucescit, jam se non fide, sed lumine alio
quo clariori divinas res cognoscere arbitrentur:
eadem enim fides, quam habebant ex dono Spi-
ritus sancti, quod intellectus dicitur, siue forma
quædam ipsiusmet fidei, luceque superiori illu-
stratur, & perficitur: donum namque istud cor ex-
purgat, ut ex verbis sancti Petri, *fide purificans cor-
da eorum*, colligitur, cordis vero purificatione ef-
ficitor capax anima ad videndum Deum, ea lucis
claritate, quæ in hac vitæ mortalitate permitti-
tur: sic enim docet S. Thomas modum connatu-
ralem cognitionis humanæ esse per speculum, &
obscuras similitudines creaturarum, ad res ascen-
dere divinas, ad perficiendum verò istam cogni-
tionem virtutem fidei opitulari: donum verò in-
tellectus (ut ex Sancto Gregorio citat) taliter in-
tellectum illuminare, ut homo in ipsa hac mor-
tali vita incipiat claræ visionis Dei frui principiis:

qui & alibi tradit, hominem expurgata & illustra-
ta dono Intellectus mentis acie, certo modo Deum
videre posse. Nam qui cum hac perfectione
lumen fidei possident, quasi oculorum intuitu
mysteria, resque divinas contemplantur, atque in
hunc modum paulatim anima luce fidei clarifica-
tur, ut inquit S. Paulus *ad claritatem, in claritatem*,
usque dum ad perfectum diem gloriæ hujus cor-
ruptibilis corporis mortalitate soluta excreseat.

Nam iustorum semita, ut inquit Sapiens, sicut
lux splendens crevit usque in perfectam diem, paula-
tim enim lucente certitudine, accrescit quoque
claritas, ac magis magisque ad lumen gloriæ ap-
propinquat: unde S. Bernardus: *qui itaque clarior,
illi propinquior, esse autem clarissimum pervenisse est:*
quasi diceret, quod quis fidei lumine clarius illu-
minatur, pari passu propius ad gloriæ lumen ap-
propinquat; qui verò jam luce illustratur claris-
sima, ipsam visionis divini gloriæ attigit, ubi
fides non est, cum omnis exulet obscuritas, essen-
tialis fidei comes.

Tam illustri porro fidei gradu, ceu luce, quæ-
dam illustrantur dignatur elevare, ut asserit san-
cta Mater nostra TERESIA à IESU mansione sexta:
quod hic fide tenemus, aliamquam animam, quasi
oculorum intuitu videre, non quod clara visionē
res fidei cognoscat, sed quod tantam certitudi-
nem, & claritatem experietur, quasi ipsa mysteria

cerneret: quod & de Moyle sanctus Paulus affir-
mans, *invisibilem, inquit, tanquam videns sustinuit.*

Ista autem illustratio intellectus tantò amplius
intenditur, quantò cor nostrum majori mundicia,
& puritate, ad divini candoris lumen fuerit dispo-
situm, sicut pro diversa dispositione, radiis solari-
bus objecta, majori aut minori splendore coru-
scent: aliter enim lucem suscipit vitrum nigrum,
quam viride; & iterum album, quam alterius co-
loris.

Sic quidam Doctores mystici lumen contem-
plationis aurore comparant, quæ paulatim exur-
gens quaquaversum progreditur, & tandem ad-
ventante sole, in diem clarum definit: sic inquit
est lux, quam Deus animæ in contemplatione in-
fundit: quod nos pariformiter de fide dicere
possumus: Primò enim quasi tenuis quædam
scintilla, in maxima obscuritate noctis tenebris
quodammodo absorpta, in principiis exercitio-
rum spiritualium enascitur, mox succedente pro-
fectu exoritur, & exurgit lux ista, dilaturatur etiam,
ampliusque clarescit, intellectui multa antea re-
nebris obvoluta demonstrans, usque dum solari
claritati vicina, in eam post vitæ hujus mortalis
transitum transformetur.

CAPVT XIV.

Qualiter exerceri debeat praxis fidei circa
virtutem spei.

Plurimum virtuti spei confert exercitium fidei,
hæc enim nostram aperit imbecillitatem, & in-
digentiam, qua sine divino auxilio nihil possumus,
ut veritas inquit, *sine me nihil potestis facere*; ab alia
parte, quæ in DEUM sperantibus bona promissa
sunt, proponens, movet, & impellit nos ad totam
fiduciam nostram in Deum collocandam: sic igitur
fides principium est, & basis spei nostræ. Hinc
est quod Apostolus fidem nominavit, *speranda-
rum substantiam rerum*, & S. Joannes Chrysost.
inquit, *quoniam quæ sunt in spe videntur esse hujus
modi, ut non possint consistere: fides eis donat substan-
tiam, ut consistant; impossibile enim est non credita
sperare, ut inquit S. Bernard.*

Hinc apparet, præcipuum nec non solidissi-
mum totius spei nostræ fundamentum esse ver-
bum DEI, & promissionem quam fecit, quia non
derelinquet sperantes in se, & nullus speravit in Do-
mino & confusus est. & ad Heb. 11. S. Paulus inquit:
Fidelis enim est DEVS, qui repromissit, & cap. 6. ab-
undantius volens Deus ostendere pollicitationis hære-
dibus immobilitatem consilii sui, interposuit iururan-
dum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est
mentiri DEVM, fortissimum habeamus solacium, qui
confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut
anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & in-
cedentem usque ad interiora velaminis. In quem lo-
cum sic ait S. Thom. Comparat spem ipsi anchoræ,
quæ sicut in mari navem immobilizat; ita spes ani-
mæ firmat in DEO in hoc mundo, qui est quasi quod-
dam mare: est autem differentia inter anchoram &
spem, quia anchora in imo figitur, sed spes in summo,
scilicet in DEO; nihil enim in præsentis vitæ est firmum,
ubi posset anima firmari & quiescere.

Sanctus Paulus Apostolus basim hanc firmam
spei nostræ, & indeclinabilem promissionis divi-
næ infallibilitatem, plurimis locis suarum Epi-
stolarum, diversis verbis, ad fiduciam nostram
roborandam, efficacibus, multum ponderat,
uno